

EPISTULA LEONINA

LXVIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXVII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUODESEPTUAGESIMAM (68) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS



SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam duodeseptuagesimam. Quae cum sit natalicia (êditur enim ipsâ Vigiliâ Nativitatis Domini) continet nonnulla argumenta natalicia: primo legatis quaeso relatiunculam de **homilia Papae Francisci natalicia** scriptam et **allocutionem nataliciam loachimi Gauck** praesidis rei publicae Germaniae foederalis. Deinde laeto animo legas et cantes **pentadem canticorum nataliciorum**. Tum helluare fabellae Grimmianae lectione: **agitur de periculis Pollicarii** illius mirabilibus, qui originaliter dicitur **Daumerling sive Däumling**. In fine invenies nonnulla **de Iohanne Küng theologo** totius orbis terrarum notissimo: et relatiunculam et colloquium interrogatorium prolixum in sermonem Latinum converti. Theses Iohannis sive tibi placent sive displicent: iuvat easdem novisse. **Butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum**. Restat, ut tibi, cara Lectrix, care Lector, offeram vota natalicia quam maxime salutaria.*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
d. 24., Vigilia Nativitatis Domini, a.2013**





**AMATE SCIENTIAM,
SED ANTEPONITE CARITATEM.**

AUGUSTINUS
(354-430 p.Chr.n.)

AUG. sermo 354,6.

Circa a.1480 pinxit Sandro Botticelli. Pictura inest ecclesiae *Ognissanti* Florentia in urbe sitae.

Primum Natale Domini: Papa missam Nataliciam dedicat hominibus exclusis

Animis suspensis homines exspectaverant primam missam Nataliciam a Papa Francisco celebratam. Aliter ac praecessor suus Benedictus XVI. is non tractavit controversias sociales. Franciscus homilia sua maxime respexit homines pauperes et exclusos.



Papa Franciscus: "Si cor nostrum praecluditur, tenebrae ingruunt"

Roma ex urbe - Papa Franciscus primum Natale Domini pontificatus sui celebravit. Ineunte missa natalicia, quae celebratur more tradito in ecclesia cathedrali Sancti Petri papa ipse – non ullus adiutus – statuat gessit Iesu neonati eamque imposuit simulacro praeseptis. Deinde figuram osculatus est. Quod quadravit ad modestiam demonstratam, qua Franciscus usque nunc differt a praecessoribus suis.

Homilia sua brevi caput ecclesiae catholicae maxime respexit homines pauperes et exclusos. Franciscus dixit pastores Bethlehemiticos primos omnium fuisse, qui nuntium nativitatis accepissent. "Illi fuerunt primi, quia fuerunt inter ultimos, i.e. inter homines exclusos."

Praeterea Franciscus verbis extulit lumen lucidum, quod Iesus attulisset, „cum spiritus tenebrarum mundum obvolveret." Omnem hominem experiri momenta temporis modo lucida modo obscura, modo lucem, modo umbram. Si homo amaret Deum et homines, quibuscum viveret, eundem vadere in luce. Papa monuit his fere verbis: "At si cor nostrum praecluditur, si in nobis praevalent superbia et mendacium et utilitatis propriae cura nimia, tum in nobis et circa nos ingruunt tenebrae".

Sed Iesum non fuisse „magistrum sapientiae“ nec "hominem idealem, a quo nos inexorabiliter remotos esse scimus" Franciscus dixit. In Iesu apparuisse "gratiam, teneritudinem, misericordiam". Aliter ac praecessor suus Franciscus non tractavit controversias ad societatem spectantes aut relativismum, de quo Benedictus XVI. saepe erat lamentatus.

Haec missa sollemnis constituta erat etiam aliquanto prius celebranda quam sub Benedicto XVI. Itaque Francisco septuaginta septem annos nato ante nuntium natalicium more traditum et benedictionem „Urbi et Orbi“ dandam, quae fient primo Natalis Domini die, licet aliquanto diutius requiescere.

Antea in Platea Sancti Petri develata erat ingens simulacrum praeseptis. Ut pacem significaret, Franciscus ante praesepe Neapolitanum sedecim figuris iconicis instructum curavit candelam accendendam.

Hanc relationem h.23:34, d.24.m.Dec., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: " *Erstes Weihnachtsfest: Papst widmet Christmette den Ausgegrenzten* ".

<http://www.spiegel.de/panorama/papst-franziskus-widmet-christmette-den-ausgegrenzten-a-940809.html>

<http://www.spiegel.de/politik/deutschland/gauck-weihnachtsansprache-des-bundespraesidenten-im-wortlaut-a-940732.html>

Allocutio Gauckiana:

"Multis non offertur Natale Domini pacificum"

Praeses foederalis in Natale Domini monet fugae fugationisque – quae factae sunt etiam in historia Germaniae. Exoptat, ut homines in necessitatem adducti melius intelligantur meliusque adiuventur. Sequentur allocutionis Ioachimi Gauck verba ipsa.



Ecce praeses foederalis in Castello *Bellevue* versans: "Cor nostrum ne coartemus"

"*Dominæ Dominique,*

ex Castello *Bellevue* Berolinensi vobis omnibus exopto Natale Domini laetum atque benedictum.

Milionesies homines his diebus inter se offerunt bona vota. Nos volumus praesertim his horis nataliciis pacis atque splendoris omnes homines bene se habere, quam plurimos habere, qui se comitentur et tutentur et protegant. Cognati nostri et agnati et parentes et liberi adulti, nostri amici et omnes, quos magni facimus: Multos eorum anno procedente raro tantum videbimus. At omnes, sic illis dicimus aut coram iis aut telephono, ratione electronica aut chartacea: Omnes his diebus utinam bene se habeant.

Homines intimis ex animis noverunt vitam sibi non contingere posse nisi sint cum aliis hominibus consociati. Volumus sentire nos esse benevole clementerque acceptos a familiis aut familiis electis. Odio et bello destruitur communitas – Natali autem Domini confirmatur spes et desiderium pacifice et concorditer cum aliis vivendi – etiam hominibus

aliarum religionum et hominibus fidei religiosae expertibus. Si hoc contigit, etiam in rebus minoribus, grati sumus. Scimus enim, quam rari et pretiosi dies vere boni sint in nonnullorum vita.

Scimus Natale Domini pacificum atque splendidum multis hominibus non offerri. Haec res sic se habet iam inde ex illo tempore, quo Natale Domini celebrari inceptum est. Illi qui olim migraverunt in Bethlehem – pauperes quidem erant, pro domo et lecto illis utendum erat stabulo et praesepe – vere non vixerunt in idyllo! Infante autem miro nato illis mox fugiendum fuit – alioquin infans non servatus esset.

Multae sunt causae, quibus homines patriam relinquunt. Bellum et fames, persecutio et angustiae. Maiores nostri haec omnia noverant. Saeculo undevicesimo miliones illorum in Mundum Novum emigraverunt, et altero bello mundano profugis et fugatis quaerenda fuit patria nova. Hodie quoque homines multis in locis orbis terrarum sunt profugi. Cogitamus de desperatis, qui audeant periculosum iter trans aquam faciendum. Cogitamus etiam de iis hominibus, qui veniunt, quia apud nos inveniunt libertatem et ius et securitatem, quae sibi in terris propriis recusantur.

Ex hominum memoria omnes profugi completi sunt desiderio vitae melioris. Profugi ad nos venientes sperant se hic cadere posse in lectum collocatum. Qui volunt persecutionem paupertatemque effugere et invenire vitam fructuosam. Ne cor nostrum coartemus dicentes nos non omnem venientem recipere posse in terram nostram. Bene quidem scio hanc sententiam esse valde, valde rectam. Sed eadem vera demum fit, si antea quaesivimus ex corde nostro, quid nobis dicat, si imagines vulneratorum fugatorumque viderimus. Verumne nos iam omnia facimus, quae facere possumus?

Anno proximo praeterito multis locis incidi in donum omnium maximum, quod terra nostra sibi ipsa fecit – in homines honoris causa adiuvantes. Qui auxilium ferunt in calamitatibus naturalibus, qualis fuit hac aestate inundatio magna. Qui mitigant paupertatem et impediunt exclusionem hominum sociale. Qui curant bona socialia servanda, fovent athleticam hominum communium debiliūque, homines defendunt – et iura civilia, adiuvant homines, ut melius vivant aut comitantur homines morientes. Ii homines sunt magnum donum Germaniae factum.

Vobis gratias ago, quod hanc terram reddatis dignam, quam inhabitemus. Fabula fert die Natali Domini angelos olim annuntiasse, ut pax fieret in terra. Angeli hoc nuntio relato domum reverterunt. Hic in terris nunc nobis hominibus ipsis est mandatum, ut hunc nuntium ad

veritatem adducamus. Haec res oportet sit nostra: Pax sit in terris – ut mundus nobis omnibus possit esse patria. Hoc sensu nos una celebremus Natale Domini!"

Hanc allocutionem nataliciam d.24.m.Dec., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: "Vielen ist ein friedliches Weihnachten nicht beschert".

<http://www.spiegel.de/politik/deutschland/gauck-weihnachtsansprache-des-bundespraesidenten-im-wortlaut-a-940732.html>

Cantica natalicia Latina




O abies (*O Tannenbaum*)

1. O abies, o abies,
quam es fideli fronde!
Aestivo vires tempore
ac tum, cum ningit, hieme,
o abies, o abies,
quam es fideli fronde!

2. O abies, o abies,
quantopere me iuvas!
Quam saepe iam placebas mi
natali die Domini!
O abies, o abies...!

3. O abies, o abies,
me vestis vult docere,
ut spes det ac constantia
et vires et solacia!



Adeste, fideles!

(textus originalis)

1. Adeste fideles, laeti triumphantes,
venite, venite in Bethlehem!
Natum videte Regem Angelorum.
Venite adoremus, venite adoremus,
venite adoremus Dominum!

2. En, grege relicto, humiles ad cunas,
vocati pastores appropierant.
Et nos ovanti gradu festinemus.
Venite adoremus...!

3. Aeterni Parentis splendorem aeternum
velatum sub carne videbimus,
Deum infantem pannis involutum.
Venite adoremus...!

4. Pro nobis egenum et foeno cubantem
piis foveamus amplexibus!
Sic nos amantem quis non redamaret?
Venite adoremus...!



Iterum quotannis (*Alle Jahre wieder*)


1. Iterum quotannis
venit Christulus
caelitus deorsum,
ubi vivimus.
2. Omnes benedicens
intrat in domus,
ut nos comitetur,
quoquo vadimus.
3. Mihi quoque adstat
latens, tacitus,
fidus ut me ducat
amantissimus.

Lente defluit nix (*Leise rieselt der Schnee*)

1. Lente defluit nix,
lacus movetur vix,
silva sollemniter stat:
Christulus mox adventat.
2. Cordi fit calidum,
silet incommodum,
vitae aerumna volat:
Christulus mox adventat.
3. Mox sanctissima nox,
sonat caelestium vox.
Audi: quam clare sonat:
Christulus mox adventat.

Sancta nox (*Stille Nacht*)

1. Sancta nox, placida nox,
nusquam est ulla vox;
par sanctissimum vigilat,
crispo crine quieti se dat
puer dulcissime!
2. Sancta nox, placida nox,
certior fit pastor mox
angelorum alleluja;
sonat voce clarissima:
Iesus salvator adest!
3. Sancta nox, placida nox,
nate Dei, suavis vox
manat ex ore sanctissimo,
cum es nobis auxilio,
Christe natalibus.



Textûs canticorum excerpti sunt ex hoc libro, qui sequitur:
C. Eichenseer, *Latinitas viva. Pars cantualis*, Saraviponti (Saarbrücken) 1986.

FABULA GRIMMIANA POLLICARIUS FILIUS VESTIFICIS QUALE ITER FECERIT*



Vestifici¹ fuit filius, qui, cum esset parvâ staturâ nec pollice maior, vocabatur Pollicarius. At idem erat animo tam audaci, ut patri suo diceret: »Pater, non possum quin proficiscar in terras longinquas«. »Hoc comprobo, mi fili«, pater dixit, acum grandiozem sumpsit eidemque

*originaliter: „Des Schneiders Daumerling Wanderschaft“. cfr [http://www.litdb.evtheol.uniMainz.de/Biographien/ Pollicarius,%20Johannes.htm](http://www.litdb.evtheol.uniMainz.de/Biographien/Pollicarius,%20Johannes.htm): „Pollicarius, Johannes eigentlich Daum oder Däumling geb. ca. 1515 in Zwickau, gest. nach 1562, luth. Theologe und Dichter...“

¹ vestifex, vestificis m. orig. *Schneider*, angl. *taylor*. cfr *vestificulus, -i m. orig. *Schneiderlein*.

candelâ flagrante adiunxit nodum laccae sigillariae, »eccum dolonem, quem tecum auferas abiturus«. Nunc vestificulus, cum ultimam habere vellet cenam cum parentibus communem, salut in coquinam, ut videret, quid Domina Mater coxisset ultimo comedendum. Cum cena modo esset praeparata et patina staret foco imposita, Pollicarius: »Domina Mater« inquit »quid hodie habes comedendum?« »En videas ipse«, mater dixit. Tum Pollicarius focum insiluit patinamque inspexit: At quia is collum patinae nimis altê inseruit porrectum, vapore cibi correptus per caminum agitated est. Paulisper vapore actus per aëra equitabat, usque dum tandem humum relapsus est. Nunc vestificulus foris erat in regione longinquâ, huc illuc migrabat, apud fabrum magistrum etiam laborem suscepit, sed cibi illius vestificulo parum sapiebant. »Domina Magistra, nisi nobis dederis cibos meliores«, Pollicarius inquit, »cras mâne abiturus cretâ inscribam ianuae domesticae: ,CARNI PARCUNT, GAUDENT TERRAE POMIS, VALE DICO ISTIS PARCEPROMIS!¹!« »Quidnam vis, allex viri²?« magistra dixit indignata, panno comprehenso voluit illum mulcare: at vestificulus cito sub digitale³ surrepsit, e digitali inferiore prospiciens Dominae Magistrae linguam exsertabat. Ea autem digitali sublato voluit vestificulum comprehendere, sed parvus Pollicarius pannis insiluit, et ubi magistra pannis disiectis eum quaesivit, invasit in rimam mensae. »Eho, eho, Domina Magistra«, vocans caput erexit et quandocumque illa erat vestificulum caesura, is desiliebat in forulum ductilem⁴. Tandem autem magistra vestificulum comprehensum foras eiecit.

Deinde vestificulus migrans vênit in magnam silvam: ibi incidit in catervam raptorum, qui voluerunt compilare thesaurum rêgis. Vestificulo aspecto iidem raptores cogitaverunt: »Tantulus pumilio cum possit repere per foramen clavis, nobis erit tamquam clavis adulterina«. »Heus tu«, alter vocavit, »gigas Goliath, nonne vis nobiscum ire ad gazophylacium? Irrepas et pecuniam eicias«. Pollicarius aliquamdiu deliberavit, deinde affirmavit et cum illis iit ad gazophylacium. Tum ianuas aspectabat superiores atque inferiores, num inveniret rimam. Nec mora, in aliquam rimam inventam voluit inscendere. Unus autem custos dixit ad alterum: »Heus quam taetra repit ibi aranea? Quam conculcabo«. »Ah mitte bestiam miseram«, alter inquit, »quae nihil tibi fecit.« Nunc Pollicarius feliciter per rimam in gazophylacium pervênit, fenestram aperuit, sub qua raptores stabant, eisque eiecit unum

¹ parceprōmus, -ī m. est homo nimis parcus. PLAUT. Truc.183

² allex, allicis m. Ge. s.v. « = pollex in pede, die große Fußzehe, s.Gloss. V,591,10. – dah. scherzh., hallex viri, Däumling, Fingerling, Plaut.Poen.1310. » – PLAUT.Poen.1309-11: Ligula, in' malam crucem?/ Tune hic amator audes esse, hallex uiri,/ aut contrectare quod mares homines amant?

³ +digitale, -is n. Du Cange p.113, s.v. : «DIGITALE, Theca, in modum digiti confecta... ». cfr He. 205, s.v. Fingerhut: «digiti munimentum [Sch.1789]; digitale, -is n. [DuC.; Vr.1595,29]...»

⁴ forulus ductilis – orig. *Schublade*. - angl. *drawer*.

thalerum post alterum. Vestificulus cum erat medio in labore perficiendo, subito audivit regem advenientem gazophylacium inspecturum, ut properê abreperet. Rex animadvertit multos thaleros duos deesse, sed non comprehendit, quis eas furatus esset, quia claustrum et repagula adhuc erant efficacia et omnia videbantur esse bene asservata. Tum rex abiturus duobus custodibus dixit: »Cavete, aliquis cupit pecuniam furari«. Cum Pollicarius nunc denuo inciperet laborare, audiverunt intra pecuniam commotam sonare tux, tax, tux tax. Intro properantes voluerunt furem comprehendere, sed vestificulus, qui illos venire audiret, etiam velocior cum esset, in angulum insiluit thaleroque se obtexit, ne quid sui appareret; necnon custodes cavillans vocavit: »Hîc sum«. Custodes illuc currebant, sed cum advenirent, Pollicarius iam pridem tertio angulo insidens vocavit: »Ohe, hîc sum«. Sic autem vestificulus illos eludens per gazophylacium tam diu circumagebat, usque dum fatigati abirent. Nunc thaleros unum post alium eiecit: ultimum quam vehementissimê, deinde eidem ipse insiluit et per fenestram devolvit. Tum raptores eum valdê laudantes, »heus tu, ingens heros, vin' fieri dux noster?« Pollicarius autem gratias egit et dixit primum sibi esse mundum permigrandum. Nunc praedam dividerunt, sed vestificulus unum tantum nummum cruciatum postulavit, quia plures ferre non potuit.

Deinde Pollicarius dolonem fibulâ subnexit, raptoribus valedixit, iter perrexit. Qui iterum iterumque conabatur apud magistros opus vestificum exercere, sed hoc cum ei displiceret, tandem in cauponâ quadam operam suscepit famuli domestici. At ancillae Pollicarium non diligebant, nam îdem cum invisibilis videret omnia, quae illae clam faciebant, dominis nuntiabat, quid ancillae e catinis surripuissent exque hypogeo essent furati. Tum ancillae: »Exspecta« inquirunt »istud dolebis!«, et inter se composuerunt, ut illi dolum necterent. Paulo post cum quaedam ancilla in horto gramina resecaret Pollicariumque videret circum salientem et per herbas sursum deorsum repentem, eundem cum graminibus celeriter converrit et omnia magno panno colligavit et clam vaccis proiecit. Inter vaccas autem fuit magna quaedam nigri coloris, quae Pollicarium cum gramine degluttivit eundem non laedens. At ei vacca inferiora displicuerunt, nam fuerunt obscura nullâ luce lucente. Cum vacca mulgeretur, Pollicarius vocavit:

*»Age, age, mulgeas,
situlam ut compleas!«*

At propter strepitum mulgendi non intellectus est. Deinde dominus stabulum intravit et :»Cras« inquit »haec vacca mactetur«. Tum Pollicarius tanto timore correptus est, ut clarâ voce vocaret: »Primo me sinite exire, nam vaccae insideo«. Dominus haec quidem audivit, sed


nescivit, unde vocatum esset. Is vocavit: »Ubi es?«. Ille autem respondit: »In nigrâ«, sed dominus, quia non intellexit, quid hoc valeret, abiit.



Postridie mâne vacca est mactata; feliciter accidit, ut Pollicarius, cum vacca discideretur et disseicaretur, nullo ictu afflictus est, sed iniectus est in eas carnes, quibus farcimina erant facienda. Cum lanus accederet opus suum incohaturus, Pollicarius quam fortissimê clamavit: »Ne caedatis nimis altê, ne caedatis nimis altê, nam ego subsum«. At strepitu cultrorum impeditum est, ne hoc audiret ullus homo. Nunc Pollicarius miserrimus fuit in summâ necessitate, sed necessitate cum pedes

accelerentur, îdem tam agiliter inter cultros persiluit, ut a nullo attactus evaderet integer. At tamen e carnibus non effûgit: itaque impedire non potuit, ne cum laridis in sanguiculum infarciretur.

Tum Pollicarius angustiis pressus est necnon in camino ad fumigandum suspensus est, ubi vehementer vexabatur molestiâ temporis. Tandem hieme delatus est, quia sanguiculus convivae alicui erat apponendus.



Cum autem domina copa farcimen in orbiculos dissecaret, Pollicarius cavit, ne sibi caput nimis protensum amputaretur. Tandem occasiunculâ captâ exsiluit.

Nunc vestificulus, quia in eâ domo, ubi tanta mala passus esset, nollet remanere, statim perrexit migrare. At haud diu libertate perfructus est: Nam in campo aperto incidit in vulpem marem, a quo est devoratus. »Heus, Domine Vulpes«, vestificulus vocavit, »ego sum is, qui haeret in gutture tuo, emitte me.«



»Rectê dicis«, vulpes respondit, »ferê nihil cibi mihi es tu ipse; at si mihi pollicitus eris gallinas in aulâ patris tui versantes, te liberabo.« »Ex animo«, Pollicarius respondit, »te gallinas accepturum esse omnes, hoc tibi promitto.« Tum vulpes eum emissum ipse domum portavit. Pater autem carum suum filiolum respiciens vulpi libenter dedit omnes gallinas, quas habuit. Pollicarius: »Ad id compensandum« inquit »tibi mecum attuli pulchram monetam«, et patri obtulit nummum cruciatum, quem accepit in itinere faciendo.

»At quare vulpi permisisti, ut devoraret miseram gallinam pipiantem?«
 »Vah, ineptule, scilicet patri filius carior sit quam gallinae in aulâ versantes.«

*** * * FINIS * * ***

**Hanc fabellam Grimmianam
 excerpit et in Latinum convertit**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



Memorialia theologi: *Iohannem Küng* criticum ecclesiae deliberare de morte auxilio moriendi petendâ

Manus atque oculi eum deficiunt: Valetudine afflicta *Iohannes (Hans) Küng* theologus tertio tomo memorialium suorum publico valedicit. Idem vir 85 annos natus leviter significat se morte sua in scaenam producta fortasse ultimo reclamare ecclesiae officiali.



Theologus Küng: "Vir doctus, quin possit scribere et legere? Quidnam faciam tum?"

Tubingâ ex urbe – Sepulchrum suum in coemeterio Tubingae urbano situm *Iohannes (Hans) Küng* iam pridem exquisivit. Quod situm est prope ultimum quietorium amici sui Valteri Jens. Se non timere, sed firme credere in vitam post mortem degendam is vir octoginta quinque annos natus scribit in memorialium sui tomo tertio et ultimo. Verisimile est eum hac autobiographia, quae inscribitur "*Erlebte Menschlichkeit*" („Humanitas experiendo accepta“) et hoc die Martis edetur, publico definite valedicere.

Iohannes Küng numquam multa sui privata prodidit, sed in fine is criticus ecclesiae scribit valde privatim. Describit, quomodo energia viae suae deminuat et quomodo ipse mortem videat advenientem. Se, unum ex theologis catholicis efficacissimis ecclesiaeque criticum, mox non iam habilem fore scribendo et legendo.

Ultimis centum paginis memorialium suorum inscripsit titulum, qui est "Vespere vitae". Ibidem primo refert de valetudine sua ingravescente. Se, qui usque ad ultimum omnes libros suos manu propria

conscripsisset, aegre tantum posse chartae inscribere litteras legibiles. Ex anno sibi notum esse se laborare morbo Parkinsoniano simulque maculis oculorum degeneratis mox visu oculorum orbatum iri. Quo audito se terrore percussus esse Küng confitetur. "Vir doctus, quin possit scribere et legere? Quidnam tum?", ex se quaerit.

"Nolo vivere, quasi redactus sim ad umbram mei ipsius"

Ineunte iam anno Küng a publico recesserat. Munus praesidis foundationis a.1995 conditae, quod appellatur "ethos mundanum", tradidit (eadem fundatione fovetur normae ethicae supraconfessionales). Küng annuntiavit se memorialibus perfectis non iam publicaturum esse libros novos. Se non desiderare diem natalem suum nonagesimum celebrandum. "Me non taedet vivendi, sed vivendo saturatus sum."

Küng, qui m.Martio anni 1928 (millesimi undevicesimi duodetricesimi) in Helvetia natus filius mercatoris calceorum, lectores commonet Valteri Jens philologi, qui dementia affectus postquam ultimos annos degit mente perturbatus hac aestate mortuus est. Küng declarat: "Nolo vitam meam continuare tamquam umbra mei ipsius", - et cogitat casu necessario e vita excedere ope organisationis Helveticae, qua fit auxilium moriendi. "Homini est ius moriendi, si non iam sperat se vitam suam continuare posse eo modo, quem intellegit esse humanum ipsissimus." Küng propositum suum ad veritatem si adduxerit, ultimo provocabit ecclesiam catholicam, quae tale auxilium moriendi stricte recusat.

Usque nunc is theologus Tubingensis apparuit rebellis vir fortis et inflexibilis. Qui indefesse insurrexit in curiam Romanam inque papas, quos sentit his decennis praeteritis ecclesiam transformasse ad „dictaturam clericalem“ et „absolutismum fecisse elementum systematis Romani essentielle“.

Reconciliatio religionum orbis terrarum

Vitia et incommoda a Küngio aperte indicabantur: "Iam diu fremitus est in Ecclesia catholica. Hoc clarissime apparet postquam supra innotuerunt quae clerici intulerant parvulis, et ecclesia per decennia reticuerat occultaveratque". Haec Küng dixit a SPIEGEL ONLINE a.2011 exeunte interrogatus. "Ex Concilio Secundo Vaticano annis sexagenariis facto amisimus aliquot decem milia sacerdotum, aliquot centum paroeciae parochorum sunt expertes, ordines religiosi sive virorum sive mulierum intermoriuntur, quia nullos inveniunt novicios. Numerus missam sacram participum continuo deminuitur."

Talibus verbis Küng factus est auctor librorum plurime divenditorum unusque ex „praecogitatoribus“ gravissimis eorum christianorum

catholicorum, qui sunt ad ecclesiam reformandam propensi. Quomodo hoc factum sit, Küng fuse explanat in autobiographiae suae tomo tertio. Ibidem incipit narrare ab anno 1980 (millesimo undevicesimo octogesimo), i.e. brevi postquam sibi a Iohanne Paulo II. propter infallibilitatem papae addubitata ablata est missio canonica.

Sescentis paginis Küng describit, quomodo pugnaverit, ne sibi silentium imponeretur. Sed narrat quoque, quomodo pervenerit ad alterum thema suum magnum tractandum, ad religiones orbis terrarum inter se reconciliandas ideoque itinera fecerit ad trecentos quinquaginta locos. "Religio vix disci potest tantummodo ex libris."

Iohannem Paulum II. Küng vituperat, quod ecclesiam reduxerit in tempus praeteritum. At etiam maiore dolore affectus est eo, quod a.2005 (bis millesimo quinto) Iosephus Ratzinger, sodalis quondam suus multorumque annorum adversarius, papa electus est. Küng iterum iterumque demonstrat, quomodo tales simultates effectae sint necnon quibus modis animus suus commotus sit. E.g. illo momento temporis, quo Benedictus XVI. ostentatus est novus papa. A cooperatoribus suis sibi postea narratum esse se facie luridissima manus sublata collisisse.

Hanc relationem d.01.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: „Memoiren des Theologen: Kirchenkritiker Küng erwägt Tod durch Sterbehilfe“: <http://www.spiegel.de/panorama/gesellschaft/theologe-hans-kueng-denkt-ueber-tod-durch-sterbehilfe-nach-a-925356.html>

COLLOQUIUM CUM IOHANNE KÜNG THEOLOGO FACTUM

„Non adhaereo huic vitae“

In Sede Vaticanâ hîc tempore illa revolutio fit, pro qua *Iohannes (Hans) Küng* per totam vitam pugnabat. At îdem theologus, cum vires se deficient, nihil facere potest nisi aspectat. En colloquium de vere catholico et gehennâ terrestri factum.

Iohannes (Hans) Küng est unus ex totius orbis terrarum theologis notissimis. Qui a.1960 in universitate Tubingensi professor theologiae fundamentalis et duobus annis post, a Papa Iohanne XXIII., consultor concilii factus est. At a.1979 eidem a Vaticanis ablata est missio canonica. A.1995 condidit Fundationem, quae appellata est „ethos mundanum“ (Weltethos), ut dialogum foveret inter religiones habendum. Hîc anno *Iohannes Küng*, 85 annos natus, ultimum tomum autobiographiae suae tripertitae, quae inscribitur: „Humanitatem quomodo expertus sim“ („*Erlebte Menschlichkeit*“).

SPIEGEL: Professor *Küng*, veniesne in caelum?

Küng: Quod valde spero.

SPIEGEL: In gehennam te venturum esse concludi possit ex eo quod secundum sententiam ecclesiae tu es haereticus.

Küng: Non sum haereticus, sed criticus theologus ecclesiae reformandae deditus, qui scilicet aliter ac multi criticorum sui ipsius non utatur mensurâ theologiae et liturgiae et iuris ecclesiastici mediaevalis, sed mensurâ evangelii.

SPIEGEL: Exstatne gehenna?

Küng: Sermone de gehennâ biblico monetur hominem prorsus deerrare posse a sensu vitae suae. Non credo exstare gehennam aeternam.

SPIEGEL: Si gehenna nihil est est nisi amissio sensûs vitae, haec est animi conceptio quadamtenus mundana.

Küng: *Sartre* dicit gehennam esse alios. Homines ipsi alii aliis gehennam efficiunt, e.g. in bellis, quale fit in Syriâ, aut in capitalismo indomabili.

SPIEGEL: *Thomas Mann* in opere suo, c.t. „Fragmentum de re religiosâ scriptum“ confessus est se omni ferê die vitae suae cogitasse de morte. Quid de te?

Küng: Iam iuvenis suspicabar me mox moriturum esse, quia cogitabam me inquietius vivere, quam ut nanciscerer aetatis annum quinquagesimum. Nunc stupefactus sum, quod octoginta quinque annos natus adhuc vivo.

SPIEGEL: A.2008 ultimo vectus es nartis. Quomodo te habuisti scientem te ultimo omnium nartare?

Küng: Scilicet me esse animo aliquatenus tristi, quod illo tempore ultimum in *Lech* steti ad montem *Arlsberg*. Amo enim aerem Alpium clarum et frigidum, ubi ventilabam cerebrum meum saepe vexatum. At non rixor cum fortunâ. Potius gaudeo, quod octogenarius adhuc valui nartare.

SPIEGEL: Tu es senex aegrotus. Tu laboras tinnitu aurium, arthrosi, maculis oculorum degeneratis, quibus efficitur, ut mox non iam legere possis.

Küng: Hoc esset pessimum: me non iam posse legere.

SPIEGEL: Anno ante medicus invênit te incidisse in morbum Parkinsonianum.

Küng: Tamen adhuc cottidie laboro assiduê. At illa omnia mihi videntur esse signa, quibus monear de morte venturâ. Etiam litterae, quas meâ manu scribo, parvae fiunt et saepe illegibiles, videntur paene evanescere. Digni mei deficiunt. Valetudinem meam generalem peiorem factam esse verum est, sed resisto.

SPIEGEL: Quomodo?

Küng: Cottidie per quadrans horae nato in hac domo, in pavimento facio exercitia physiotherapeutica, exercitia quoque vocis, digitorum, animum attendo ad novas quaestiones. Praeterea cottidie sumo decem trochiscos diversos.

SPIEGEL: Scripsisti plures sexaginta libros, semper fuisti homo fortior atque robustior, quam ut contentiones evitares. In biographia tua quaeris, num mox nihil futurus sis nisi umbra tui ipsius.

Küng: Scilicet medicorum diagnoses prognosesve esse parum accuratas. E.g. oculi mei lentius peiorantur quam medicus praedixit. Biennio ante medicus dixit me non iam diutius legere posse quam per biennium. Tamen adhuc legere possum! At vivo abiturus et paratus sum quandocumque valedicere.

SPIEGEL: Morbus tuus Parkinsonianus progredietur.

Küng: Anno proximo praeterito Londinii cum ludi Olympii initiarentur, spectari potuit *Muhammad Ali*, qui etiam laborat morbo Parkinsoniano. Qui coram toto mundo est exhibitus, torpidus et mutus, aspectu maxime miserabili. Horreo animo fingens me similia esse passurum...

SPIEGEL: Valterus Jens amicus tuus ante novem annos incidit in dementia, quae celeriter ingravescebat. Hoc anno idem mortuus est.

Küng: Eum iterum iterumque visitaveram, etiam brevi antequam mortuus est. Nonnullis annis ante facies eius adhuc splendescibat, cum veneram. At his annis ultimis ille non iam scivit, utrum ultimo se visitavissem heri an ante mensem. Denique me non iam agnovit. Hac re animus meus depressus est, praesertim cum sentirem Valterum Jens, unum ex viris aetatis postbellicae doctissimis, recidisse in quoddam genus pueritiae.

SPIEGEL: Illius dementiae causa dolebatne etiam Valterus Jens ipse an cognati amique tantum?

Küng: Si morbo ineunte ex eo quaesitum erat, quomodo se haberet, paene semper dicebat „pessime“ aut „male“. Simul coepit gaudere rebus minoribus, parvulis, bestiis, dulciolis. Semper ei mecum afferebam socolatam, primo ille ipse eam sumpsit, postea ego in eius os ingessi. Quae Valterus tum experiebatur, nobis latebant. Sed ne quis exspectet me talem statum valetudinis laturum esse.

SPIEGEL: A.1995 una cum Valtero Jens librum publicavisti, qui inscribitur „Quomodo mori possimus ratione hominibus digna“. Licetne Christiano finem ponere vitae propriae?

Küng: Mihi vita videtur esse donum Dei. At Deus hoc donum reliquit responsabilitati meae propriae. Hoc valet etiam ad vitae partem ultimam, ad moriendum. Deus bibliae est Deus misericordiae neque est tyrannus crudelis, qui vult hominem quam diutissime vexari gehenna dolorum. Itaque auxilium moriendi potest esse ultimum auxilium vivendi, quod fieri potest.

SPIEGEL: Ecclesia catholica hoc habet pro peccato, quo violetur ius supremum Dei creatoris.

Küng: Haud mihi placuit, quod locutor episcopi Rottenburgensis statim declaravit ea quae ego scripsissem esse doctrinam Domini Küng, neque Ecclesiae. Oportet ne hierarchia ecclesiastica, quae de atociis et pilula anticonceptiva et fecundatione artificiali iudicans tam vehementer erraverit, eadem menda faciat, ubi agitur de quaestionibus, quae valent circa finem vitae. Saeculo vicesimo primo nostra condicio est funditus alia ac prioribus temporibus. Ante centum annos homines mediam aetatem assequebantur quadraginta quinque annorum, plerique homines moriebantur praemature. Ego nunc sum 85 annos natus, sed mea aetas artificialiter prolongata est, denis trochiscis in die, progressu hygienes et medicinae.

SPIEGEL: Timesne ne paulatim contabescas?

Küng: Accurate conscripsi mandatum patientis necnon ex brevi tempore sum membrum organisationis, quae dedita est auxilio moriendi. Non peto quidem mortem voluntariam. At volo curare, ut valetudine mea ingravescente mori possim ratione, quae homine sit digna. Nullo loco bibliae praescribitur, ut homo debeat morbum perferre usque ad mortem sibi destinatum. Quid “destinatum” sit, latet nos.

SPIEGEL: Ut auxilio utaris moriendi, tibi vehendum est in aliam terram.

Küng: Civis Helvetiae sum.

SPIEGEL: Qua ratione hoc fiet? Telephonabisne cum illis et dices te velle nunc venire?

Küng: Nondum est mihi horarium proficiscendi. Sed liturgiam meam moriendi personalem in ultimo tomo meo memoriali accurate descripsi.

SPIEGEL: Parocho non licet te munire unctione extrema.

Küng: Mihi amicus, qui est sacerdos et unus ex meis discipulis, aderit.

SPIEGEL: In Goetheana fabula, c.t. „Die Leiden des jungen Werther“ (Werther iuvenis quae passus sit) persona praecipua ipsa sibi mortem consciscit amoris aegritudine. Quae fabula finitur his verbis: „Nullus sacerdos eum comitatus est.“ Haec quadrat cum doctrina Ecclesiae.

Küng: Semper negabam me sententia de moriendo dicentem reclamare auctoritati ecclesiasticae. Nolo dare praeceptum generale, de nemine decerno nisi de me. Sane ridiculum esset me in scaenam producere mortem meam propriam, quasi reclamarem auctoritati ecclesiasticae. At volo efficere, ut haec res disseatur aperte et benevole. Ex quo socialistae nationales interfecerunt ingentem multitudinem hominum debiliu, in Germania nefas est commendare „auxilium moriendi activum“.

SPIEGEL: Si auxilium moriendi a societate comprobatum erit, quinam homo insanabiliter aegrotans necessariis suis adhuc vult se mandare colendum?

Küng: Scilicet hoc periculum imminere, quod describis. At hodie auxilium moriendi clam fit, quia vetitum est. Multi medici exaugent dosin morphii, si agitur de re (i.e. si aegroti mortem exoptant), et periculum subeunt, ne puniantur. Quidam aegroti, qui tales medicos non invenerunt, se praecipitant ex fenestris nosocomiorum. Hoc quidem est intolerabile! Nobis non licet has quaestiones relinquere ad libitum cuiuscumque medici, sed egemus legibus, quae spectant ad hanc rem, etiam propter medicos tutandos.

SPIEGEL: Nonne in fine magis vitae adhaerebis, quam ut finem ei imponas recto momento temporis?

Küng: Scilicet hoc fieri posse.

SPIEGEL: Vitaene adhaeres?

Küng: Non adhaereo vitae mundanae, quia credo factum iri vitam aeternam. Haec persuasio multum distat a sententia mere saeculari.

SPIEGEL: In autobiographia tua scribis: „Cor meum dolet, si considero, a quot rebus mihi sit desistendum.“

Küng: Recte scripsi: vitae non valedico, quia misanthropus sum aut hanc vitam parvi pendo, sed quia aliis de causis imminet tempus abeundi. Persuasus affirmo post mortem vitam fore; sed hoc fore non affirmo ratione primitiva, sed totam meam personam finitam introiturum esse in Deum infinitum. Hic erit transitus in aliam realitatem, quae sita est ultra dimensionem spatii et temporis, quam esse ratio pura neque potest affirmare neque negare. Haec res posita est in confidentia rationali. Hanc esse veram nescio demonstrare rationibus mathematico-physicis, sed bonis causis cum confidam in nuntio bibliae, credo me receptum iri a Deo propitio.

SPIEGEL: Scisne cogitatione depingere caelum?

Küng: Pleraque locutiones, quae spectant ad caelum nihil sunt quam merae imagines, quas non licet verbatim intellegere. Nos hodierni longe remoti sumus a

caeli conceptionibus aetatis praecopernicanae. Sed spero me in caelo accepturum esse solutionem magnorum mundi aenigmatum, i.e. quaestionem, quales sunt: Quare est aliquid neque est nihil? Unde veniunt crepitus primigenius et numeri naturae constantes? Sunt ergo illae quaestiones, quas neque sciunt solvere astrophysici neque philosophi. Caelum qualecumque erit, agetur de statu aeternae pacis aeternaeque beatitudinis.

SPIEGEL: Physici universum obscurum milliardis stellarum completum hodie multo melius sciunt explicare quam prius. Estne fides tua hac re infirmata?

Küng: Consideranti quam ingens sit universum et quam obscurum, saltem haud facilius fit, ut credam. Beethoven in symphonia sua nona adhuc potuit sperare „necessarium esse, ut supra tabernaculum stellarum habitaret pater carus“. Ex aetate illuminismi haec conceptio mentis non iam valet. Sed etiam intelligendum est, quantum vere sciamus. 95 (nonagenae quinae) partes centesimae universi nobis ignotae sunt, novimus neque 27 (vicenas septenas) partes centesimas materiae obscurae neque novimus 68 (duodeseptuagenas) partes centesimas obscurae energiae. Physici propius propiusque quidem accedunt ad originem rerum, tamen nesciunt originem explicare.

SPIEGEL: Exoptas, ut in fine funeris tui cantetur canticum ecclesiasticum „Nunc omnes gratias agite Deo“ („*Nun danket alle Gott*“).

Küng: Quia hoc cantico dicitur vita mea non finita esse, sed consummata. De hac autem re certe licet gaudere, nonne?

SPIEGEL: In Sede Vaticana hoc tempore id ipsum fit, pro quo tu per totam vitam pugnavisti: ecclesia aperitur et reformatur, ipso in hoc tempore, quo tu senescis et debilitaris. Estne haec ironia historiae?

Küng: Ironia magis spectat ad Ratzingerum collegam meum priorem. Non iam putaram me vivente factum iri, ut ecclesia catholica in melius verteretur. A fortunae invidia redemptus semper exspectaveram Küngium abiturum esse, Ratzingerum mansurum. Itaque prorsus stupefactus eram, cum acciperem ipso die meo natali Ratzingerique nominali, d.19. m.Martii, Benedictum abiisse et Papam Franciscum munus suscepisse.

SPIEGEL: Quomodo fieri potuit, ut collegium cardinalium, virorum, qui dediti sunt conservando et restaurando, papam eligeret revolutionarium?

Küng: Primo illi prorsus nesciverant, quam revolutionarius esset Franciscus. Sed, nisi respicimus durum nucleum huius collegii curialem, multi cardinales clare intellexerant ecclesiam in magnum discrimen esse adductam, quod apparebat ex corruptione Vaticana, ex casibus abusus sexualis occultatis et ex scandalo illo, quod appellatur „*Vatileaks*“. Cardinales enim in patria sua saepe acceperant ecclesiam vehementer vituperari a christifidelibus humilibus.

SPIEGEL: Num potest fieri, ut unus solus vir talem institutionem, qualis est ecclesia catholica, reformat more revolutionario?

Küng: Potest, si quidem papa habet aptos et bonos consultores. Ratione iuridica papa est maiore potestate quam praeses Civitatum Unitarum.

SPIEGEL: Sed nonnisi intra ecclesiam, quia e.g. non exstat conventus legatorum, qui oportet assentiatur statutis.

Küng: Neque exstat supremus aula iudicialis. Papa potest, si vult, statim abolere legem caelibatus, quae introducta est saeculo duodecimo. .

SPIEGEL: Post ver Arabicum venietne nunc ver catholicum?

Küng: Quod ver iam adest, sed similiter ac in vere Arabico imminent repulsus et motus contrarius. In Sede Vaticana et in ecclesia mundi sunt greges potentes, qui cupiant rotam revertere. Qui timent ne amittant possessa sua.

SPIEGEL: Dolesne, quod hanc rem non iam potes participare?

Küng: Hoc fero animo aequo. Maioris facio papam haec legere quae ei mitto, quam me ab illo invitari Romam.

SPIEGEL: Idem tibi nuper scripsit se duos libros, quos sibi misisses, libenter legere et „mansurum esse tibi promptum“.

Küng: Iam duas ab illo accepit epistulas manu scriptas perhumanas. Inscriptio involucro inscripta nihil fuit nisi „F., Domus Sanctae Marthae, Vaticano“, subscripta erant verba „salutatione fraterna“. En novum modum agendi. Iohannes Paulus II. per viginti septem annos nullo responso me dignatus erat.

SPIEGEL: Quocum papa licet Franciscum comparare?

Küng: Potissimum cum Iohanne XXIII., sed non est defectu, quo fuerat ille. Iohannes XXIII. instituta reformavit obiter, sine programme. Qui menda administrandi fecerat gravia.

SPIEGEL: Quaerendum est, utrum Franciscus gestibus tantum movet admirationem, an plura subsint.

Küng: En vestes simpliciores factos esse, protocollum mutatum, totum sermonem, hae res non solum sunt leves aut superficiales. Ille coepit mutare paradigma. In hoc papa nunc denuo multo melius cognoscis munus Petri insigne esse ministrando. Ille postulat, ut foras exeatur ex ecclesia, ut accedantur homines. His diebus ille coepit curare, ut ex episcopis quaeretur, quid sentirent laici de quaestionibus familiarum. Primo itinere ille iit ad profugos in insula Lampedusa versantes. His omnibus desistit a ratione muneris gerendi, quam Benedictus sensit esse tenendam. Eo quoque quod postulat, ut ecclesia sit pauper, adducitur ad alias cogitationes. Verisimile est sub Benedicto futurum fuisse, ut episcopus ille Limburgi luxuriosus adhuc munere fungeretur.

SPIEGEL: At Franciscus dominus congregationis fidei etiam archiepiscopum Gerhardum Ludovicum Müllerum affirmavit, qui pertinaciter teneat cursum solitum.

Küng: Animo fingere possum Benedictum magna vi studuisse, ut Müller munus suum retineret. At novus papa eo ad obrussam exigetur, quod decernet, utrum Müller pergat personam gerere custodis fidei et magni inquisitoris.

SPIEGEL: Franciscus annuntiavit Iohannem Paulum II. sanctificatum iri, papam restaurando deditum, qui firmavit greges, quales sunt Opus Dei et Legionarii Christi.

Küng: Non intellego, quare idem papa sit sanctificandus. Qui est omnium paparum saeculi vicesimi ipse maxime sibi contradicens. Qui veneratus est Mariam – sed recusavit, ne mulieres in ecclesia muneribus fungerentur. Qui homilias habuit contra paupertatem multiplicem – sed interdixit, ne adhiberentur atocia. In autobiographiae meae tomo ultimo undecim contradictiones huiusmodi gravissimas fuse tractavi. Ille iterum iterumque alia agebat ac dicebat. Exempli gratia etiam Patrem *Martialem Maciel*, unum ex puerorum constupratoribus pessimis conditoremque Legionariorum Christi, habuit amicum sibi familiarem eundemque tutatus est contra omnia vituperia.

SPIEGEL: Tamen Francisco ignoscis hanc sanctificationem?

Küng: Wojtylae sanctificatio fovebatur a Benedicto, qui neglexit omnia temporis intervalla praescripta. Si eadem res nunc subito abrumperetur, non solum laederetur animus Benedicti, sed etiam multorum Polonorum. Intellego Franciscum hoc nolle. Saltim idem simul annuntiavit se sanctificaturum esse Iohannem XXIII. Papam reformandi. Ceterum licet quaerere, num hodie etiam consentaneum sit sanctificare. Nam medio demum aevo hoc inventum est.

SPIEGEL: In vita tua estne aliquid factum, quod velis reddere infectum?

Küng: Cum sciam me interdum litigasse verbis nimis vehementibus, gauderem, si nonnulla non dixissem. At res omnium, quas umquam expertus sum, gravissima fuit ablatio missionis canonicae a.1979 facta, qua concidi animo et corpore percussus.

Fuit quidam dies, quo nihil feci nisi iacui in hoc stibadio flavo infirmiorque fui, quam ut irem ad sessionem facultatis annuntiatam, qua ageretur de casu meo.

SPIEGEL: Laborastine depressione psychica?

Küng: Non laboravi depressione, sed fui defessus. Scilicet ex me quaesivi, num debuissim me flectere. Nam nihil a me postulatum erat, nisi, ut tacerem. Quid ego ipse crederem, illi Romanenses minime curaverunt, ii dixerunt: Credas quidquid vis. Nonnulli dicunt, si tum obsecutus essem, futurum fuisse, ut iam pridem essem cardinalis. At hoc ipsum non petivi assequendum.

SPIEGEL: Illo tempore desideravisti cathedram in Civitatibus Unitis accipiendam. Voluistine Germaniam relinquere?

Küng: Americam admiratus sum animo inflammato. Noveram praesidem Kennedy, unam ex eius sororibus aliaque familiae membra, necnon invitabar a multis universitatibus Americanis ad acroases faciendas. Ita vero, hoc somniabam: me accepturum esse cathedram, velut Angelopoli, et domum prope Oceanum Pacificum sitam. At hoc somnium fuit alienum a rerum veritate. Revera Tubingam numquam volui relinquere.

SPIEGEL: Putasne te viventem rehabilitatum iri?

Küng: Non puto. Germanica episcoporum conferentia posset quidem hanc rem incohare, Romanenses necesse esset assentiri – sed non iam puto hoc factum iri neque exspecto. Papa Franciscus oportet ne alias res agendas praestantiores negligat eo quod meae causae maiorem vim attribuet nimiumque ad me accedet.

SPIEGEL: Per totam vitam tuam tibi obiciebatur vanitas. In biographia tua de hac re scripsisti integrum capitulum.

Küng: Tamen opinor me non vaniorem esse quam homines plures.

SPIEGEL: Scribis alios theologos tibi invidisse, quod saepius invitareris ad emissiones televisificas participandas, quod vim attribueres corpori exercendo et vestimentis decoris gerendis, velut focali.

Küng: Ibi leguntur verba haec: „interdum focale“.

SPIEGEL: Alia sententia a te scripta est haec: „Facultates meas raro aestimavi nimis magni.“

Küng: Haec si e contextu eripueris, revera sonant vanitatem. Sed in eadem pagina legitur etiam me taedere qualitatum bonarum, quae quadam illusionem nimis magni fierent. Equidem novi limites mei. Abominor ostentationem gloriationemque. At si mihi controversiam cum Romanensibus agenti deesset conscientia mei ipsius, periissem. Usque ad diem hodiernum libri mei a hierarchis et a theologis scholaribus non respiciuntur. Fortasse hac de causa semper semperque commemoravi, qui auctor scientista, politicus, diurnarius opera mea citaverat comprobans.

SPIEGEL: Pater tuus fuit mercator calceorum, tu triginta duos annos natus factus es professor theologiae Tubingensis, triginta quattuor annos natus consultor Concilii Vaticani Secundi – at deinde a.1979 quadamtenus fulmine ictus es missionis canonicae ablatae.

Küng: Illo tempore magna actione publicatoria infestatus sum et denique omnibus in ecclesiis rei publicae foederalis Germanicae recitata est epistula pastoralis in me scripta, haec debes animo fingere.

SPIEGEL: In missione canonica tua auferenda etiam agebatur de caelibatu sacerdotali a te in dubium vocato. Putasne sub Francisco fore, ut caelibatus reformetur?

Küng: Non possum animo fingere hanc quaestionem etiam nunc dilatam iri, quia cottidie pauciores sacerdotes prompti sunt ad communitates christifidelium curandas. Nescio, quomodo in proxima generatione in Germania fiat cura animarum. Haec

quaestio iam pridem tam matura est, ut tractetur solvenda necnon ecclesiae frequentatores maximam partem parati sunt ad rem reformatam comprobendam..

SPIEGEL: Observasne caelibatum sacerdotalem?

Küng: Non sum connubio coniunctus, mihi neque est uxor neque sunt liberi.


SPIEGEL: In libro memoras mulierem, quam appellas „comitem vitae mei idealem“.

Küng: Talem eam appello sensu sodalicii exemplaris: Habemus separatas possessiones, separata tabulata, separata habitacula. Haec omnia scripsi in mea autobiographia. Plura non habeo, quae de hac re dicam.

SPIEGEL: Professor Küng, gratias tibi agimus pro hoc colloquio.

Hoc colloquium interrogatorium d.09.m.Dec., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „DER SPIEGEL“ editam (fasc.50, p.120-125) e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

VOTA NATALICIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR,



**IN ANNI MMXIII
NATALE DOMINI**

LEO LATINUS



OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUODESEPTUAGESIMAM**

EL 68

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

Vigiliâ Nativitatis Domini, m.Dec. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

